



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 3. Solvuntur opposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

olutionem, & Sacramentum, sine quo credidit, vel timet non posse salvari, & ex alia parte nescimus, an id adverterit, vel voluerit, aut aliquibus signis significaverit, quantum potuerit, neque scimus, an externis sensibus sit destitutus, an etiam internis: sæpè enim huiusmodi homines in eo periculo eas actiones agunt ex fine petendæ Absolutionis, quæ à circumstantibus non advertuntur, aut putantur fieri vi morbi; nec denique constat, an prædicta voluntas sufficienter significetur vitæ acta, & fide Christiana. Undè absolvendus est sub conditione, *ut si sis satis dispositus, beneficium Absolutionis consequatur*. Quapropter etsi fortè quis actualiter peccando, subito destituatur sensibus, regulariter sine Absolutione dimittendus non est: cum rarissimè contingat, ut mori vicinus non velit suæ saluti consulere, saltem per Attritionem, quæ non constat internè carere, quamvis externè sit sensibus privatus: per conditionem enim evitatur injuria Sacramenti, & ex alia parte consultur, quantum fieri potest, saluti moribundi, qui per mores Christianos anteactos in tali articulo, & attritus, & satis, superque Confessionem petere præsumitur. Sic Bonagratia supra citatus. Vide Gobat. tractat. 7. numer. 597. usque ad 625.

SECTIO III.

Solvuntur Opposita.

§. I.

267. **O**bjicies primò contra primam Conclusionem. In aliis judiciis Absolutio potest absenti conferri: ergo etiam in judicio Sacramentali poenitentiae. Confirmatur ex historia, quam Scotus refert de S. Thoma Cantuariensi, dicens, eum petiisse à Pontifice Romano absente Absolutionem. Sic Cyprianus epist. 13. aliàs lib. 1. epist. 17. significat, se recepisse Confessiones aliquorum absentium per Scripturam, & in eum modum aliqui interpretantur historiam, quæ est apud Eusebium. lib. 6. cap. 34. aliàs 36. de Serapione aegrotante, qui misit ad Presbyterum etiam aegrotantem, ut eum absolveret, & per aliquem Ministrum Eucharistiam mitteret: Eusebius autem refert misisse

Eucharistiam, adeoque videtur supponere, datam fuisse in absentia Absolutionem. Præterea historia de Concilio Basiliensi adducta à Sancto Antonino citato num. 234. ostendit illos Patres fuisse in illa sententia: ergo &c.

Respon. concedo Antecedens, & nego Consequentiam; quia sicut alia judicia habent peculiare conditiones, & requisita, ut sint valida, juxta voluntatem Principum potentium hæc, vel alia apponere requisita; ita Absolutio in hoc Sacramentali judicio poenitentiae habet requisita, apposta à Christo, qui potuit, & voluit ea apponere: unum autem ex requisitis, ut sit valida, est, quòd præsentem conferatur, ut constat à num. 245. quamvis non sit requisitum pro aliis judiciis à suis Principibus appositum: unde in hac parte nulla est paritas ex illis ad istud judicium. Si esset ineptissima ista argumentatio: in aliis judiciis Absolutio non remittit peccata contra Deum: ergo neque in isto. Ad Confirmationem, nego consequens, quia Historia de S. Thoma Cantuariensi neque apparet, unde accepta sit, neque id Scotus refert. Quinimò per Absolutionem ibi optimè intelligimus indulgentiam aliquam plenariam, & Pontificiam benedictionem, pro qua fortasse S. Thomas Romanam misit, vel fortè etiam pro Absolutione à quacumque censura, quæ ad causam sæpè peti, & dari solet, etiam si non agnoscat,ur.

Rursus locus Cypriani posset potius in contrarium induci; nam receptis libellis confessionem eorum, qui absentes erant, non dicit, se absolvisse illos, sed commississe, ut aliquis Presbyter ex iis, qui præsentem aderant, pacem eis daret, ubi omnino videtur requirere præsentiam. Attamen dum negotium illud commissit Diacono, dicens ut si Presbyter non adesset, Diaconus id faceret, argumentum est, non loqui de Absolutione Sacramentali, sed de aliqua reconciliatione ad publicam poenitentiam pertinente. Ex quo à fortiori potest induci argumentum: si illam reconciliationem commisit Ministro præsentem, quantum magis Sacramentalem: & ferè idem responderi potest ad factum Serapionis apud Eusebium. nam ille etiam erat velut in statu poenitentium, quoniam propter metum coram tyranno fidem non

gaverat. Et hoc modo intelligitur Canon *Qualis* 30. quæst. 5. ubi dicitur, Confessionem quandam suscipiendam esse per scriptum, ubi sermo non est de Absolutione Sacramentali, sed de alia judiciali, quo in sensu intelligendi sunt PP. illi Concilii Basiliensis: quamvis nihil obstat contra nostram Conclusionem, quod aliqui, ut Auctores privati, contrarium senserint; quandoquidem jam nostra sententia est definita à Clemente VIII. ex numero 232.

270. Objicies secundò contra secundam Conclusionem ex Nunno. Concilium Florentinum in tract. *de Confessione*, ait, Confessionem, quæ est pars Sacramenti Pœnitentiæ fieri ore: ergo in casu moribundi non potentis loqui, non datur valida Confessio, adeoque neque impendi potest valida Absolutio. Ex hoc argumento manifestè patet, Adversarium non vidisse Florentinum, sed ad summum vidisse citatum in aliquo Auctore: Florentinum enim non habet tract. *de Confessione*, sed in decreto pro instructione Armenorum explicat materias, & formas omnium Sacramentorum. Unde sicut ex eo non potest dici, quod habeat unum tractatum de Baptismo, alterum de Confessione, &c. ita neque dici potest, habere tractatum de Confessione. Hoc prænotato. Respondeo: dist. Antecedens, fieri ore, necessitate præcepti, Concedo, necessitate Sacramenti, N. Antec. & conseq. ex dictis n. 146. & expressè habet Benedictus XI. citat. n. 180.

271. Objicies tertio: materia, & forma Sacramentorum debent esse indistantes, sic non possum hodiè abluerè puerum, ut eum baptizem, & intra aliquas horas proferre formulam: ergo neque potest infirmus modò petere Confessionem, & intra aliquas horas, quando advenit Sacerdos, accipere Absolutionem. Respondeo: dist. Antecedens, debent esse indistantes physice, nego, moraliter, concedo Antecedens, & nego conseq. Ablutio enim, quæ tangit puerum, & verba quæ proferuntur à Ministro, non sunt physice indistantes, sed solum moraliter: indistantia autem moralis debet esse talis, qualis requiritur, ut forma verè cadat supra materiam: cum autem in Baptismo (idem de aliis similibus Sacramentis) non posset cadere forma supra materiam, si quando proferretur forma, non apponeretur materia: forma c-

nim dicit: *ego te baptizo*, sive *te abluo*, quod verum non esset, si tunc non ablueret: ea de causa non potest modò abluì, & intra aliquas horas proferri forma: tanta enim distantia non est sufficiens, ut in iudicio prudentum esset verum dicere, quod Minister proferens verba, tunc ablueret.

272. In Sacramento verò Pœnitentiæ contra contingit; nam materia non apponitur à Ministro, sed à pœnitente, adeoque potest cadere forma supra materiam, quia tunc à Ministro apponatur, dummodò apposta fuerit à pœnitente, & perseveret moraliter, quod adeò notum est ex universa praxi Ecclesiæ, ut non possim non mirari validè Auctorem sic arguentem. Quis enim dubitat sæpè sæpius in Ecclesia Dei pœnitentes, qui de tota vita conficiunt Confessiones generales, quandoque impendere unum, vel plures dies, & rectissime cadere Absolutionem supra omnia illa peccata confessa, cum Confessio tunc virtualiter perseveret, siquæ verus verborum sensus, quando tunc Minister dicit: *Ego te absolvo*. Quamnam ergo in hac re est paritas ex Baptismo ad pœnitentiam? Vide num. 66. de Sacramentis.

273. Objicies quartò ex Nunno, & Alvarez: Confessio sumpta pro expositione Sacramentali peccatorum, est actus personalis æquæ, ac Absolutio: ergo non potest per alium obiri, sed tantum à præsentè præsentè fieri. Respondeo, concedo Antecedens, & nego consequentiam. Ratio est, quia sicut Absolutio non potest dari ab alio, nisi à Sacerdote, ita Confessio pœnitentis non potest fieri ab alio, nisi à pœnitente: sed quid inde? Quod modo quarimus valdè diversum est: quarimus enim, utrum illa Confessio facta à pœnitente, vel per litteras, vel per nutus, vel per signa possit per testes manifestari Sacerdoti? quod certum esse dicimus ex praxi Ecclesiæ, ex definitionibus Conciliorum, & Pontificum. Nec video coherentiam doctrinæ in Adversariis, quandoquidem ipsi docent id, quod dicimus: docent enim prædicti Auctores sufficere expressionem doloris concepti de peccatis, & voluntatis ea confitendi, quæ est virtualis eorundem expositio, si in præsentia ægroti fiat Sacerdoti ab iis, qui adfuerunt, cum æger voluntatem suam aperuit. Quis, quæso, tam ineptus erit, ut non videat, verba prolata à testibus non esse actionem personalem.

Fff ff

lema

lem infirmi, sive ea verba proferantur in absentia, sive in praesentia infirmi? Unde difficultas desumpta ab actione personali, si non fallor, voces continet, praterea nihil.

274. Objicies quintò ex Nunno, & Alvarez. Ex perpetuo usu Ecclesie confessio est secreta, fitque soli Sacerdoti: sed si fieret per litteras, internuncium, aut testes, neque esset secretà, neque fieret soli Sacerdoti: ergo, &c. Confirmatur à Nunno: quia Rex Castellæ Ildefonsus, cognomento sapiens, vetuit, Confessionem per litteras, aut internuncium fieri: ergo non satis est ad Absolutionem. Respondeo: dist. Maj. soli Sacerdoti, idest ut absolvat solus Sacerdos, concedo, idest, ut sit invalida, si in alterius notitiam veniat, nego Ma: & dist. eodem modo Mi: nego Conseq. Aliter si quando Adversarii confitebantur Sacerdoti sua peccata, alter audiret, Confessio eo ipso esset nulla, quod est ridiculum. Quinimò nemo posset confiteri per interpretem, quamvis aliter se non posset explicare, quod inauditum est in Ecclesia Dei. Ad Confirmationem nego Conseq. quia Rex Castellæ Ildefonsus solum prohibuit, ne ministraretur integrum Sacramentum poenitentiae absenti, præcipiens, quod docebat Ecclesia. Cæterum in quem finem adducit Regem, si contrarium dixisset; An ne Rex Castellæ in mente adversarii erat Summus Ecclesiae Pontifex;

275. Objicies sextò ex Coquetio, Goneto, & recentioribus Thomistis: ista propositio: *Licet per litteras, seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente Absolutionem obtinere*, condemnata est ad minus ut falsa, temeraria, & scandalosa à Clemente VIII. ex n. 232. ergo condemnata sunt utraque membra propositionis: quorum unum est, posse confessionem absenti fieri. Confirmatur primò ab Alvarez: Particula *est* in rigore sermonis sumitur complexivè, nisi ponatur ex parte subjecti, eique correspondeat verbum pluralis numeri: nam tunc sumitur divisivè, ut in ista: *tria, & quatuor sunt septem*: atqui in propositione damnata particula & non ita ponitur: ergo sumitur complexivè, & non divisivè, adeoque utraque propositionis pars manet damnata. Confirmatur secundò: si non maneret damnata utraque pars illius propositionis,

nulla maneret damnata, cum non sit potior ratio de una, quam de alia: adeoque esset derisoria prohibitio Pontificia: ergo, &c.

Respondeo: concedo Antecedens, & nego Conseq. quia ibi solum condemnata fuit propositio contra Auctores intendentes, posse integrum Sacramentum poenitentiae, confici inter absentes: non autem comprehensus fuit casus, de quo agebat S. Leo Concilium Arausicanum, Rituale Pauli V. ex num. 250. Quod manifestè patet ex ipso Clemente VIII. id attestante, ut constat ex testibus omni exceptione majoribus, nimirum Cardinali Bellarmino, & Archiepiscopo Armacano citatis num. 255. ex quo manifestè patet, eam propositionem in sensu à nobis exposito condemnatam fuisse, non quidem complexivè, sed divisivè ratione secundi membri cum Absolutio absenti collata invalida sit: Imò nequit esse valida, quin validum foret Sacramentum: Si enim poenitens validè esset absolutus: poenitentiae Sacramentum esset validè confectum: cum autem per eam prohibitionem hoc condemnatur, planè sit condemnata esse ratione secundi membri. Vide num. 279.

Ad primam Confirmationem, nego Ma: nam illa doctrina Adversarii non solum est contra bonos Summulistas, verum etiam contra S. Scripturam, ut constat ex illo Marci 10. *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium commisit super eam*, ubi ly & non ponitur ex parte subjecti, aliter quam in propositione damnata in decreto Clementis: nec ei conjunctioni à Marco adhibita correspondet verbum pluralis numeri, & tamen, & sumitur complexivè, non divisivè. Certum quidem est, non esse adulterium illud, qui præcisè dimisit uxorem suam, nisi in super aliam ducat, quà committat adulterium, Undè evidens est, discursum Alvarez manifestè dissolvi ex scriptura.

Idem constat in hac propositione damnabili: *licet dare mutuum infideli, & aliud quod ab eo ultra sortem accipere*, ubi conjunctionis & sumitur complexivè, ita ut secunda tantum pars propositionis, si divisim sumatur, damnari debeat, & tamen conjunctioni & non correspondet verbum pluralis numeri, nec ponitur ex parte subjecti, sed necit utramque enunciationem partem

tialem respectu totalis copulata ex duabus integritatibus. Idem omnino est in decreto Clementis.

279. Ad secundam Confirmationem, nego Antecedens: nam pro damnatione secundae partis habemus gravissima fundamenta adducta à num. 245. Quinimò cum damnatum sit, quod integrum poenitentiae Sacramentum confici possit inter absentes manifestè deducitur, condemnatum esse, Absolutionem absenti datam esse validam, cum non possit esse valida, cum Sacramentum invalidum sit. Quae ratio nequaquam militat in Confessione: quando enim poenitens rectè sua peccata confitetur, Confessio illa valida est ante Absolutionem, & tamen ante Absolutionem non est validum Sacramentum. Quomodo ergo Adversarii ex uno ad alterum damnatae propositionis membrum, vel minimam invenire possunt umbram paritatis?

280. Obijcies septimò ex iisdem. Doctrina Eximii Doctoris explicantis damnationem à Clemente factam intelligendam esse complexivè, & non divisivè, prohibita fuit sub Paulo V. ex num. 242. ergo certum est, eam propositionem prohibitam esse, non complexivè, sed divisivè, hoc est quoad utrumque illius membrum. Respondeo: dist. Antecedens: prohibita fuit, secundum substantiam doctrinae, ut à nobis exposita, nego: ut conjuncta cum periculo illius temporis, concedo Antecedens, & nego consequens quia ut constat ex num. 240. eo tempore periculum erat, ut per Confessionem integrum acciperetur

poenitentiae Sacramentum, quod periculum intendebat remove Paulus V. At illo periculo cessante, nulla in primo propositionis membro permansit prohibitio: ut constat ex ipso Paulo V. qui postea in suo Rituali eam primam partem propositionis toti Ecclesiae proposuit, ex num. 256. tum ex Cardinali Bellarmino, atque Armacano, qui testes sunt omni exceptione majores.

Obijcies octavò ex Nunno: Clemens 281. VIII. vivæ vocis Oraculo testatus est, ut scit *universalis Ecclesia*, declarationem peccatorum per litteras, aut internuncium referentem poenitentis voluntatem, non esse sufficientem, ut Sacerdos adveniens conferat in praesentia Absolutionem: ergo &c. Respondeo, nego Antecedens: nam universalis Ecclesia oppositum scit, ut constat ex Rituali Pauli V. successoris Clementis, & ex ipso Clemente suam mentem declarante testibus num. superiori citatis.

Undè nisi nomine totius Ecclesiae venia 282. solus unus, exprimendo figuratè totum pro parte, non apparet, quae verisimilitudine Auctor iste verba ea typis dederit Scio non esse singulare, in his materiis, ut ab iis, quorum interest, multa referantur prodita vivæ vocis Oraculo à Pontificibus, de quibus ipsi ne cogitaverunt quidem. Exempla quamplura signant P. Annatus in quaestione historica de auxiliis subiecta operi de Scientia media, & P. Joannes Martinez de Ripalda tom. 2. de Ente supernaturali, disput. 113. sect. 8. 11. & 13.

DISPUTATIO VI.

AN DARI POSSIT SACRAMENTUM POENITENTIAE VALIDUM, ET INFORME?

283. **P**Lura quaestionem hanc concernentia didimus à num. 463. de Virtute, ex quibus facile in praesenti controversiam istam decidemus. Pro majori autem claritate, scire oportet, Sacramentum validum, & informe tale dici, non quidem, quia careat forma intrinsecè ejus constitutivâ (sic enim non esset validum); sed quia cum sit constitutum adaequatè in sua essentia, cum omnibus suis partibus

essentialibus; illud tamen defectu dispositionis in subiecto, aut ratione obicis, non causat gratiam, quae est effectus, & fructus Sacramenti, & forma Animam sanctificans. Sic potest quis suscipere cum actuali peccato Baptismum, Confirmationem, Ordinem, & tamen existeret tota essentia Sacramenti, ex dictis num. 24. de Baptismo: quærimus ergo in praesenti, an etiam Poenitentiae Sacramentum possit constare

Fff ff 2

omni-

R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.